

**De novissima gastroenteritidis medela. Dissertatio medica inauguralis /
[Karl Georg Kallenbach].**

Contributors

Kallenbach, Karl Georg.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Göttingen : C.E. Rosenbusch, 1836.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wjk7akrr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

30824/p/1

75484
39

**DE NOVISSIMA
GASTRO - ENTERITIDIS
MEDELA.**

**DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS AUCTORITATE
ET CONSENSU
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
PRO
SUMMIS IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRITIA
HONORIBUS RITE OBTINENDIS
DIE IV. MENSIS JUNII MDCCCXXXVI
UNA CUM THESIBUS ADJECTIS PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
CAROLUS GEORGIUS KALLENBACH
SCHLEUSINGA - THURINGUS**

**G O T T I N G A E
IMPRESSIT CAROLUS EDUARDUS ROSENBUSCH.
MDCCCXXXVI.**



Explicatio rerum simplicissima plerumque est iustissima.

Quum ante viginti circiter annos in nervosis morbis defunctorum intestina ulceribus varii generis conspersa observarentur, summo ardore ac laudabili medicorum optimi iique non pauci in arenam ruere amabant et uno lustro vix praeterlapso cadaverum sectiones innumerae et inquisitiones de illis accuratissime institutae earumque explicationes omnium artis peritorum animis expositae fuerunt intentis. Mox quoque pluribus de hac re agentibus manifestum videbatur, permultos status morbosos gravissimos, huc usque febris nervosae aut typhi alicui formae subsumptos et tanquam tales tractatos ad peculiarem morborum speciem pertinere eorumque symptomata ad nervosam affectionem spectantia magis intestinorum incognitis quibusdam influentiis laesorum degeneratione, et exulceratione, quam idiopathica nervorum systematis insultatione provocari. Deinde viri ordinis medicorum fama insignes et experientia illustrissimi, ante omnes inter Gallos *Brétonneau, Chomel, Andral, Broussais* et alii, inter Anglos *Hewelt, Abercrombie* et inter Germanos *Neumann, Lisle, Lesser, Albers* et *Clarus* et plures alii rei-

teratis observationibus in hac re dubia factis, de natura genuina, de caussis, de decursu et complicationibus nec non de medela hujus aegritudinis theoremata construxere sagacissima et summa cum diligentia libros libellosque conscripsere, quo in certamine morbus ipse adhuc innominatus pro diversa cujuscunque auctoris opinione de ejus natura mox febris typhosa (*Chomel*), febris adynamica (*Chauffard*), mox dothinenteritis (*Brétonneau*), Gastro-Enteritis (*Broussais*), mox typhus abdominalis (*Annely*), mox Enterohelcosis et Ileitis pustulosa (*Clarus et Hufeland*) vocitata est.

Quod tot et tantis viris gravissimum et exactissima exploratione dignissimum visum est, in his studiorum primitiis dijudicare tironi neque competit, neque compilationem ex eorum scriptis componendi voluntas adest. Sufficiat potius opinionum, quarum auctoritas in his maxime praevaluit, aliquas afferre et brevibus exponere, quibus sententiam de natura et medela nostri morbi novissime promulgatam comparandi copia data sit.

a) *Brétonneau* specificam quandam materiem epidemicam accusat ejusque effectum dothinenteritidem propagari affirmat, quam ipsam pro typho habendam cum proclivitate in putrescentiam et inde ulcerationem intestinorum exoriri putat. ¹⁾

b) Ceteri scholae transrhenanae et prae omnibus *Broussais* ejusque asseclae non solum nostri morbi, sed fere omnium febrium gastricarum (et biliosarum et mucosarum) causam inflammationi purae et genuinae attribuendam esse professi sunt, totumque harum affectionum comple-

1) *Brétonneau* sur la dothinenterite. *Lancette française* 1824.

Trousseau de la maladie, à laquelle M. *Brétonneau* a donné le nom de dothinenterite. *Archives génér. de médecine* 1826.

Andral, Clinique médicale Tome III. Paris 1830

xum generi gastroenteritidis adnumerant. 2) Hujus morbi, affirmant, duplicem esse formam, inflammationem vel ventriculi vel intestini tenuis; omnes febres gastricas et mucosas chronica intestini tenuis inflammatione exoriri et varia nervosae perturbationis symptomata modo secundarie locali inflammationis irritatione provocari, ita ut nulla nisi antiphlogistica remedia, et inter haec venae sectiones et hirudines largiori manu ad abdomen tanquam locum affectum applicandae, ad sanationem idonea sint.

c) Non multo differt *Lesserus*, qui *Broussaisianam* doctrinam et mendendi methodum nimis sanguineam quidem vituperans, nihilominus eadem de aetiology morbi principia proclamat, 3) nimirum typhum; diarrhoeam nervosam et febrem mucosam nil nisi variam formam inflammationis membranae villosae intestinorum esse, hancce simplicem in diarrhoea et maxime complicatam in typho observari; inflammationem venosi characteris esse, et quamquam ejus symptomata minus sthenica, quam occulta inveniantur, nihilo secius antiphlogosin desiderari non posse ideoque calomelanos doses majores, tanquam sedantes et antiphlogisticum effectum simul afferentes, adhibendas esse.

d) *Albers* tandem et alii a praedecessoribus ita divergunt, ut causam morbi exanthemati peculiari cum typho complicato tribuant, quod tamen essentialiter e diatesi scrophulosa et glandularum mesentericarum degeneratione originem trahat. 4)

2) *Histoires des Phlegmasies chroniques. Tome III, p. 80.*

Broussais Vorlesungen über gastrische Entzündungen übersetzt von Fleck. Leipzig 1829.

3) *Lesser die Entzündung und Verschwärung der Schleimhaut des Darmkanals, als selbständige Krankheit dargestellt. Berlin 1830. (Seite 335. 36. 51. 61. 420.)*

v. Pommer in den Heidelberger Annalen 1826.

4) *Albers die Darmgeschwüre. Leipzig 1831, S. 307.*

Variae denominationes morbi ejusque explicationes dissentientes veram illius naturam nondum plane exploratam esse, suspicionem admittunt, hocce ipsum pro eorum, quorum maxime interfuit, aegrotorum nimirum incommodo confirmatum vidimus, experientia docente, illum contra tantorum virorum auctoritatem rebellare et in contemptum eorum theorematum et omnium curandi methodorum, sive antiphlogisticarum sive roborantium sive irritantium plus quam tertiam aegrotorum partem ad sepulcra vi sua trahere inevitabili et perniciosissima.

Nova curandi methodus,

Rebus sic stantibus emanatio novi alicujus, faustiores eventus prae se ferentis principii de intuendo morbo, omnibus de salute humani generis, litterarum artiumque progressu sollicitis gratissima et exoptatissima videatur necesse est. Tale autem nuperrime in annalibus Heckerii ⁵⁾ promulgavit D. Koehler, vir doctissimus et experientissimus, qui in Nosocomii Caritatis Berolinensis sectione internorum morborum medici auxiliaris functioni praeest, cuique inde hujus generis aegrotantes tractandi et effectum methodi observandi copia data est multiplex et varia, ita ut, quae nobis pronunciat, non tam theorematis novissime inventi et magna cum arte constructi consequentias, quam potius modestiores et salutariores experientiae fructus ad lectulos aegrotorum collectos accipere liceat.

Neque melius et magis opportunum specimen mihi ipsi offerri potuit, cui auctoris amicitia uti et ejus benevolentia reiteratis observationibus de aegrotis secundum novam methodum sanatis admitti contigit, quo factum est, ut de quibus ago, non in verba magistri juraturus, sed potius ipsorum sensuum perceptione locuturus sim. In allegatis annalibus auctor supradictus nimis breviter hisce verbis utitur:

Neumann über die Darmgeschwüre in typhösen Fiebern. Hufelands Journal 1827. Stück 3. S. 96.

5) Heckers allgem. mediz. Annalen. Berlin Octoberheft 1835.

Das Wesen der Gastroenteritis beruht nicht auf Entzündung, das heisst: auf einer über die Norm gesteigerten, ⁶⁾ sondern vielmehr auf einer in qualitate veränderten Lebensthätigkeit der Schleimhaut des Darmkanals, in deren Folge statt der milden Secreta eine wässrige und scharfe Flüssigkeit secernirt wird, welche wenn sie lange Zeit im Darmkanal verharret und nicht durch Natur oder Kunsthülfe schnell entfernt wird, *als Krankheitsreiz auf die innere Fläche des Darmkanals wirkt und dessen Entzündung und endlich Ulceration* in geringerer oder grösserer Ausdehnung herbei führt.⁷⁾

6) Auctor his verbis definitionem inflammationis talem admisit, qualem ante aliquot lustra fere universim recentiorum schola fixit, nimirum eam in aucta capillarium vasorum vita et actione consistere. His autem inflammationis natura nimis restringi jam diu videbatur, inde duae quoque formae sc. sthenica et asthenica, (incongrua forsitan expressione) discerni solebant. Recentissimi itaque illam mere auctam vitam in inflammatione negant et ei neque sthenici, neque asthenici, sed proprii aliquid inesse contendunt, quippe quod ex irritatione vasorum capillarium ortum functionem organi affecti pro diversa ejus structura et qualitate mutet et alienet (cf. J. Müllers Handbuch der Physiologie) quo in sensu etiam catarrhus et rheumatismus, qui hucusque status irritationis et subinflammationis habebantur, genuinae inflammationis speciebus adnumerari possunt. Haec de inflammationis definitione differentia mihi non praetereunda erat, quum, quae infra exponam, ad illam nos reducant.

7) Dum ad scribendum hunc libellum materiem aliquam colligerem, fortuito in publicis ephemeridibus haec legenda mihi obvenerunt:

“Paris den 13. April 1836. Sitzung der Academie der Wissenschaften von 11. April 1836. . . . — Herr Laroque zeigt an, dass in seiner Druckschrift über den Typhus (Monthyonsche Bewerbung) als neues bewiesen werde, dass die Entzündung der Peyerschen und Brunnerschen Drüsen nicht die *Ursache* des typhösen Fiebers sei, sondern aus der Einwirkung der Flüssigkeiten auf die Darm-schleimhaut hervorgehe. u. s. w. —

Als ursächliches Moment für die Erzeugung des Leidens muss eine eigenthümliche *Constitutio aëris* angesehen werden, da sich andere Ursachen fast nie nachweisen lassen und die Krankheit zu manchen Zeiten ganz ausgeht, zu andern dagegen gleichzeitig eine ziemliche Anzahl von Individuen befällt. Für diese Ansicht sprechen auch die Symptome und der Verlauf der Krankheit. Endlich aber spricht für obige Ansicht der geringe Erfolg der antiphlogistischen und der sehr günstige der ausleerenden Methode, in welcher hier allein Heil zu suchen ist. Da die schädlichen *Contenta* fast immer nach unten turgesciren, so sind Brechmittel nur in seltenen Fällen, wo Ueberladung des Magens unmittelbar vorherging, sonst aber jederzeit nur Abführmittel anwendbar. Unter diesen *Oleum ricini*, Rheum, Senna, selbst die Jalappe in Verbindung mit Calomel (*ad grana decem* von beiden Mitteln.) Vorzüglich zweckmässig ist die letztgedachte Verbindung, worauf niemals Vermehrung der Leibscherzen, vielmehr jederzeit nach Eintritt der Stuhlgänge Erleichterung bemerkt wird, ein Beweiss, dass die reizende Einwirkung des Laxirmittels gegen den Reiz, den die normalwidrigen *Secrete* ausüben, nicht in Betracht kommen. Weniger vorthellhaft wirken Salze und es sind diese nur *intercurrent* in kleinen Dosen gereicht, wenn es sich darum handelte, das begleitende Fieber zu mässigen. Alle Laxirmittel müssen jedoch in

(Siehe Vossische privilegirte Berlinsche Zeitung von Staats- und Gelehrten- Sachen vom 20. April 1836. Nro. 92.)

Quodsi, uti sperandum, inquisitionibus reiteratim institutis nova de ulcerationum origine sententia confirmata fuerit, Galli more solito primum locum sibi arrogare properabunt, quae tamen sine ullo dubio competit nostro auctori, cujus verba supra allegata ex relatione annua, quam vi functionis suae publicae Nosocomii Berolinensis Directorio de morborum tractatorum genio et qualitate jam mense Januario anni praeteriti (1835) obtulit, extracta et postea demum mense Octobris in D. Heckeri annalibus typis publicis tradita sunt.

solcher Dosis gegeben werden, dass sie nach kurzer Zeit mehrere reichliche Stuhlgänge bewirken, damit die im Darmkanal verharrenden schädlichen Stoffe so schnell als möglich weggeschafft werden. . . . Wie oft und wann Laxanzen gegeben werden, hängt davon ab, wie schnell die schadhafte Stoffe sich wiedererzeugen. Stärkere Schmerzen, Auftreibung des Unterleibs und Geräusch beim Druck machen Laxirmittel sehr nöthig *und es ist gleichgültig hier, in welchem Grad die Diarrhoe bestand.* Dass man mit Abführmitteln der verschiedensten Art die Krankheit beseitigen kann, darin liegt meines Erachtens der Beweis, dass das Calomel weder als Specificum, noch als antiphlogisticum, noch durch locale Einwirkung auf die bereits vorhandenen Geschwüre, sondern lediglich durch seine laxirende Eigenschaft heilsam wirkt. Ist der Darmkanal durch mehrtägigen Gebrauch des Calomels an diesen Reiz gewöhnt, so müssen andere Abführmittel gewählt werden; geht dasselbe in die Säfte über, so ist es nachtheilig und bewirkt Zersetzung der Säfte. Ist der Darmkanal frei, so reicht man mit Nutzen Oleosa und andere einhüllende Mittel. Die ungeheure Menge Blutigel ist unnütz, wenigstens wenn sie nicht mit Abführmitteln verbunden werden. Fällt der Unterleib zusammen und regelt sich das Secretionsgeschäft, so hält man mit den ausleerenden Mitteln ein und setzt überhaupt alle Arzneien aus. Ausserdem kann ammoniac. ferner aqua oxymur. in schleimigen Vehikeln gegeben werden, von denen das Letztere besonders zur Vernarbung der Geschwüre dient.

His essentialia novae methodi continentur, cui in singulis tamen casibus pro diversa complicatione et pro aegroti corporis constitutione (ipso auctore adnuente) modi et mutationes tales adhibeantur, ut febris nimis vehemens salibus antiphlogisticis et in robustissimis aegrotantibus immo sanguinis extractione universali — hac autem tantum initio morbi et semper summis cautelis instituenda — restringi possit.

Principiis de gastroenteritidis natura hucusque stantibus e diametro oppositum et simul periculosissimum videtur, drasticis remediis oppugnare malum, cujus caussa tanquam inflammatoria aut certe tanquam irritatio intestinorum vehementior agnoscebatur et in cujus decursu diarrhoea habebatur symptoma debilitans et quovis modo removendum. Nihilo secius effectus remediorum, quorum periculum imminere videtur, faustissimi fuerunt, sine ullo dubio certe multo faustiores quam anti-phlogisticorum. Auctor noster per duos annos eosdem methodi laxantis exitus exoptatos sese vidisse affirmat et, si de meis loqui liceat observationibus, brevi spatio quatuor mensium (a Januario ad Aprilem a. c.) inter duodecim morbi casus, in Nosocomio Berolinensi oblatos a D. Koehlero secundum methodum suam *undecim* sanatos et unicum aegrotum — quippe qui in agonia fere receptus est et cujus intestina, sectione docente, maximis et permultis ulceribus repleta erant, mortuum ipsis meis oculis conspexi. Nonnullorum horum casuum decursum in fine brevibus adjeci, ut imago et descriptio novae medelae clarior perspiciatur.

In sequentibus nuperrimam de vera natura gastroenteritidis sententiam scientificis argumentis et ex decursu et symptomatibus explicare ausus, non possum non petere summam indulgentiam, haud ignarus, quanta obstant auctoritates et quanta sit in rebus sensui externo clausis fallacia theorematum.

Explicatio
de vera mor-
bi natura et
caussa.

Gastroenteritis seu typhus abdominalis, ut definitionem non penitus omittam et faciem ejus externam proponam, ille mihi est morbus acutus, qui gastricis affectionibus incipiens, febre et typhosis signis accedentibus ulcerationes aut insultationem graviolem intestini praeclare ostendit. Huncce morbum veteribus medicis non incognitum fuisse *Lesserus et Albers* ex scriptis divi *Coi, Arëtaei et Celsi* demonstrarunt. De caussis et natura veteres nil dijudicarunt. Posterioribus seculis usque

ad nostra tempora propter symptomata, quae in acme praevalent typhosa, febris nervosae adnumeratus videtur. Recentissimi demum et primo Galli (uti supra dictum) peculiarem morborum speciem agnovere. Opinionibus Brétonneauvii et Albersii praetermissis, reliqui omnes inflammationem tanquam causam proximam accusavere, ita tamen ut *Broussais* ejusque schola inflammationem et febrem primario statuerent, *Lesserus* autem et alii tantum inflammationem villosae chronicam primarie admitterent et ex hac et febrem et reliqua omnia symptomata secundarie colligerent. Non longe divergimus, si tanquam principalem et primariam causam accusemus catarrhalem quandam intestini affectionem, atmosphaericis influentiis auctam et ex hac non solum gastricas molestias sed etiam febrem, ulcerationes et typhum subsequentem derive-
mus, quippe quod catarrhus aliquod analogon inflammationis, immo species ejus est, si hanc generaliter in alienata vasorum capillarium vita haerentem profiteamur.

Ad illustrandam dubiam morbi aetiologiam hucusque placuit ulcerationes et degenerationes, in defunctorum intestinis repertas, earum formam, faciem, situm et relationem ad vicina organa veram aut praesumptam accuratissime explorare tabulisque explicare, ex quibus tamen morbi productis neque veram et primariam causam neque certam et faustioremedelam exhaurire contigit. Liceat igitur alio et tali modo procedere, et ex solo decursu mali, ex serie symptomatum (dienecepsse excipientium) constante nec non remediorum effectu — ex jivantibus et nocentibus — imaginem morbi construere et causam.

Hanc catarrhalem esse nunc nobis docendum est.

Membranae mucosae in sana functione mite aliquod fluidum secernunt et pro destinatione singuli organi varium, plerumque lubricans et involvens. Catarrhus, qui status est morbosus membranis mucosis proprius et in minore l. majore irritatione nervorum et vasorum loci affec-

ti consistit, normalem illam functionem impedit et secretum illud in quantitate et qualitate alienat et mutat. Notatu autem dignissimum videtur catarrhi esse duas formas principales, tam aetiologia, quam symptomatibus diversas, quarum altera ex mera vicaria membranarum mucosarum functione, altera ex atmosphaericis viribus, seu constitutione annua proficiscitur.

Mitior illa forma quovis anni die et tempore aestivo et hiberno et in omnibus individuis ex refrigeratione aut alia perturbatione cutis externae exoriri solet, ad cujus vices in se suscipiendas et functionem suppressam auctis suis secretionibus aequiparandam membranae mucosae excitantur. Catarrhum talis characteris, quem *metastaticum* seu vicarium nominarem, in membrana Schneideriana nasalem, in faucium et tracheae superficie anginam et tussim catarrhalem et in intestinis diarrhoeam catarrhalem adesse videmus. Pro principali et fere unico symptomate secretum membranae mucosae auctum et aliquo modo alienatum — neque tamen perversum, neque corrosivum — profluit, aliis molestiis absentibus. Talis affectio catarrhalis plerumque plane afebrilis est et omnibus constat, eam post paucos dies, remedio adhibito nullo decursum suum peragere levem et quatenus externa cutis ad normalem functionem revocetur, et mucosas membranas ad perfectam redire sanitatem.

Altera catarrhi forma sub viribus annuae constitutionis influentibus, tempore vernali humido aut autumnali et plures individuos simul afficiens sine manifesta occasione externa erumpere et alia quaedam symptomata afferre solet. Praeter auctam quantitatem secreti membranae affectae, quod copiosissime prorumpit, hujus secreti maxima alteratio in quali et mutatio in perversum et corrosivum fluidum, porro febris pronunciata nec non sympathia nervorum systematis in morbi circulum attracti observantur, quae omnia certam specificam materiem, simplici

catarrho alienam, esse adjectam manifestant. Haec forma catarrhi id proprii habere videtur, ut major pars membranae mucosae et magis intensive afficiatur, quo irritatio localis, adjuvantibus innumeris nervorum retibus, in superficie affecta extensis, ad organum centrale reflecti possit. Hanc catarrhi proclivitatem in nervosas complicationes experientia non negat. Quis enim non memor sit medici alicujus practici lamentationis, catarrhum sui aegroti nervosum assumpsisse characterem? et quis *Influenzae* epidemiae seu catarrhi Russici oblitus sit, qui sua natura catarrhalis morbus certe tamen ubique per totam suam viam et per totam Europam nervosa signa manifestavit et his ipsis unum et alterum aegrotantium in sepulcrum traxit? Quibus ex omnibus vix dubitandum, quin catarrhi formae epidemici aliquid specifici inesse praesumatur, id quod ceteris momentis externis nondum detectis, nullis nisi atmosphaeriis influentiis attribui possit, quo magis in exanthematibus acutis similem vim atmosphaericam adhuc incognitam et nervoso systemati efficacissimam membranas mucosas afficere quotidie animadvertitur. Sequamur catarrhalem decursum in nonnullis organis singulis, ut tandem ad nostrum perveniamus morbum.

In catharro nasi (epidemice erupto) major Schneiderianae membranae superficies usque in sinus frontales et antrum Highmori irritata capitis dolores et obsessionem, sensuum perturbationem et totius corporis delassationem, febrem ad vespertinum tempus exacerbantem efficit et secretum emittit corrosivum, quod parietes nasi canalibus et narium margines solo tactu et fluxu intumescit et rubescit. Attamen malum brevi, plerumque regimine solo diaetetico congruo cessat et rarius tantum remediis internis eget, secretis perversis per apertum canalem sine impedimento proruentibus, quorum vis corrosiva modo exiguam et momentaneam irritationem addere possit.

Catarrhus, mucosam pulmonum et trachealem afficiens, bronchiticos status et quatenus majore vi et extensione procedat, saepe

symptomata nervosa provocat. His principalis indicatio data est secreti removendi, quo respiratio angi et mucosa ipsa degenerari possit.

Quodsi autem catarrhus ille atmosphaericus l. ipse genio epidemico l. irritatione abdominali jam praeeistente, ad intestinorum membranam alliciatur, hujus auctis secretis ac alienatis *status gastricus* formatur, quem pro in tensione et extensione irritationis, pro noxiis immediate praegressis et pro individuo attacto varium sese offerre et quem, si majorem intestini tenuis superficiem insultet, nostro morbo, — typho abdominali, gastroenteritidi ansam dare et causam primariam praesumimus. Antequam symptomata gastroenteritidis notissima enumerentur et iis comparentur, quae in graviore intestinorum catarrho exorienda sunt, modo tantum addere liceat, ut ex permultis rebus, morbis praegressis, scrophulosa in juvenibus diatesi, maxime autem ex totius corporis oeconomia, propter functionem intestinorum alienatam perturbata, complicationes variae gigni et signa catarrhalia permutari possint.

Prodromi eo continentur spatio, quo primum catarrhalis aegritudo membranam mucosam intestinorum aggressa hujus functiones normales impedit et (veluti in catarrho nasi) suppressis secretionibus parietes internas exsiccat et irritet, quo fit, ut obstructio alvina raro absit. Ceterum saepe signa catarrhalia, horripilationes, capitis obsessio et universales molestiae gastrici status leviores animadvertuntur.

Stadium primum gastricum.

In primo stadio fere tota membranae mucosae superficies secretum producit, morborum influentibus atmosphaericis alienatum, corrosivum et copiosum idque faeculentis massis mixtum et deterioratum per longius tempus in toto ilei et coli ascendantis tractu retinetur. Inde quoque in hoc stadio symptomata gastrica praevalet; appetitus absentia, delassatio totius corporis, debilitas, lingua muco albo aut raro flavescente obducta, cutis sicca non nimis calida, dolores leves per totum abdomen vagantes, pondus in ventriculi regione, borborygmi et pro-

fusi, quibus excretiones vitreoso—mucosae simul cum faecibus emittuntur, alvi fluxus obstructione alternantes et reliqua omnia docent, in intestinis causam esse mali primariam, cujus catarrhalis natura tam mucosae cum faecibus egesto quam eo manifestatur, ut non solum intestini sed etiam aliorum organorum membranae mucosae una patientes reperiuntur. Non raro enim, teste Albersio ⁸⁾, uretrae membrana rubefacta et in statum subinflammatorium redacta observatur et in casibus fausti exitus fere omnibus ad finem morbi bronchiticae affectiones accedunt, ita ut quasi bronchialis membranae malo sympathico symptomata abdominalia diminui videantur. Plerumque jam initio primi stadii febris adest cum typo remittente, cujus vis et ardor a majore vel minore membranae superficie affecta dependet et quo fortiores et longiores habet exacerbationes eo rapidius ad secundum stadium nervosum progreditur. In aliis tamen rarioribus stadium gastricum afebrile reperitur casibus, hi-que protrahi solent et post plures hebdomades demum nervosa signa accedunt.

Hisce argumentis de morbo exoriendo allatis haud immerito objicitur, praesumptam catarrhalem affectionem ejusque producta obnoxia ipsa natura medicatrice, ope nimirum diarrhoeae crebrae et copiosissimae removeri ideoque decursum morbi ulteriorem ex catarrhalis secreti noxiis non amplius derivari posse. Pari tamen et forsitan majore cum jure respondeatur, ductiones illas alvinas, quanquam copiosas, ad evacuandam materiem peccantem non penitus sufficere, easque, quas semper borborygmi praecedunt et quae modo nimia accumulatione quasi mechanice provocari videntur, alteram modo partem secretorum obnoxiorum egerere, alteram autem, continuata membranae mucosae secretionem ad-

8) Albers Die Darmgeschwüre l. c. S. 291 294.

auctam in quibusdam intestini locis, longius perhaerere ⁹⁾ et reliqua morbi signa excitare. Quodsi tamen initio aut artis aut naturae auxilio intestina affecta et obnoxiiis materiis sensim sensimque adimpleta alvi solutionibus sufficienter relevantur, decursu catarrhi facto, membrana abdominalis mucosa non diutius secretis corrosivis irritata et insultata ad normales functiones redit, omnia aegritudinis symptomata diminuuntur et mox plane cessant, medico et aegroto, quippe qui modo gastrica signa viderant, nescientibus, quod et quantum periculum evannerit.

Stadium ex-
ulcerationis
et nervosum.

Multo saepius tamen salutaribus excretionibus retardatis, aut non sufficienter egestis morbus ad secundum stadium properat, quod seriem symptomatum novam ostendit, ad duas complicationes principales, nimirum ulcerationes in intestinis ortas et nervosam seu typhosam sensorii affectionem spectantem.

Dolor in regione iliaca dextra fixus et acrior, lingua et labia mox rubrica et pura, mox fusco aut nigricante tegumine polluta, pulsus frequentissimus, parvus et tensus, alvi excreta partim serosa partim mucosa cum sanguinolentis et purulentis striatis commixta, et plura alia catarrhalis morbi primarii characterem deletum et quae postea in defunctorum intestinis conspiciuntur, exulcerationes exortas esse demonstrant. Quas ulcerationes non ad primarias morbi causas pertinere, sed potius contactu faecium aut intestini secretorum irritantium nasci, jam *Chomel* ¹⁰⁾

9) Conferantur, quae Broussais, Chomel et nuperrime Naumannus de hac re judicarunt locis not. 10. 11. 12. allatis.

10) *Chomel* Nouveau Journal de méd. T. I. p. 13. haec affert: les ulcères occupent les parties du conduit intestinal, où les matières séjournent davantage et où elles ont acquis des qualités plus irritantes; on n'en trouve ni dans l'estomac ni dans le duodenum, où les matières restent, il est vrai, assez longtemps. mais où elles n'ont pas encore subi beaucoup d'alterations; ils sont très rares dans le commencement même dans

et *Broussais* ¹¹⁾ et nuperrime *Naumannus* ¹²⁾ consentiunt, quorum ultimus immo methodum evacuantem in primo stadio nervoso febrium gastricarum adhibuendam et aptissimam censet, ita ut major hujus sui

toute la longueur du jejunum,; ils deviennent progressivement plus fréquens et plus larges et plus profonds dans les parties voisines de la valvule; ils sont très rapprochés, très étendus sur la valvule même, à la fin de l'ileon, dans le coecum et le colon ascendant; ils sont très rares dans le reste des gros intestins, sans doute parceque les matières y séjournent peu, étant expulsées facilement, dès qu'elles sont parvenues dans le colon transverse.

11) Broussais similia fere profert his verbis:

Si les excréments continuent toujours à se putrier la muqueuse meurt dans les points de son tissu, qui sont les plus irrités. Or ce sont les cryptes muqueux, parceque c'est dans leurs capillaires, que le mouvement de la phlogose se précipite davantage. cf. Histoire des Phlegmasies. Tom. III. pag. 40.

12) cf. Naumanns Handbuch der medicinischen Clinic d. 1835. Tom. 1. Abtheil. 1, pag. 666.

Höchst wahrscheinlich besteht die wichtige Function der Peyer'schen Drüsen darin, den abhängigsten Theil des Darmcanals auch im gesunden Zustand durch verstärkte Absonderung der sie bedeckenden Schleimhaut gegen die reizende Eigenschaft der Fäcalmassen zu schützen. Bey Krankheiten hört diese Secretion durch die verstimmte Energie der Nerven auf. Die von Säften strotzenden Drüsen schwellen daher an und werden durch den Erweichungsprocess zerstört. Dieser wird aus zwey Gründen mit den Symptomen der chronischen Entzündung verbunden seyn 1) werden die erkrankten Drüsen die nachtheilige Einwirkung der Fäkalmassen mit verdoppelter Stärke erfahren 2) die Drüsen wirken aber selbst wieder durch ihre Anschwellung reizend auf die Schleimhaut. Auf diese Weise wird ein geschwüriger, aber nicht eigentlich tuberculöser Erweichungsprocess gebildet. Durch vorsichtige Abführungen in der ersten Periode gastrisch nervöser Fieber vermag man gewiss in sehr vielen Fällen der Ausbildung

principii extensio cum novissima de medela sententia plane conveniret. His auctoritatibus adnuentibus quid suspicari nobis obstet, sola corrosione secreti illius catarrhalis, vi quadam aeris epidemice perversi, quippe quod per plures dies in intestinis et praesertim in inferiori parte ili et coli ascendentis (in regione iliaca dextra dolente siti) retinetur, texturae membranae jamjam irritatae rarefactionem, postea inflammationem locorum contactorum et denique exulcerationem provocari et effici posse? Nonne videmus in nonnullis nasi catarrhis solo stillicidio secreti alienati parietes corrodi, immo in casibus vehementioribus ulceratiuncula narium gigni. Cur dubitemus hujus fluidi obnoxii accumulatione, si per longius tempus in canali nasali clausa esset, majores et graviores ulcerationes esse exorituras? Nonne etiam simili modo in fluore albo maligno fossa navicularis et huic proxima regio vaginalis, cui secretum perversum, a tota vaginae membrana emissum, per aliquod tempus adhaeret, exulcerationibus conspersa reperitur? Vix igitur dubium quodquam remanet, quin analoga materia morbosa et specifica in intestinorum tractu similes effectus et insultationes producere possit.

Albers ¹³⁾ et alii quidem, cadaverum sectionibus accuratissime institutis, plerumque eas intestinorum partes, quae majoribus glandularum accumulationibus insignes sunt, pluribus ulceribus repletas et in quovis ulceris inchoantis centro stigma aliquod, ductu glandulae excretorio formatum, invenerunt ex iisque primariam causam morbi minus in affectione totius membranae intestinalis, quam in degeneratione glandularum Peyerii circa valvulam Bauhini sitarum quaesiverunt. Quae

dieses Zustandes vorzubeugen, indem durch diese verschiedene Erregung die dynamische Verbindung der Drüsen mit dem Nervensystem wieder angefacht wird.

13) *Albers*, Die Darmgeschwüre pag. 294 etc. sequ.

res melius tamen ita interpretanda videtur, ut exulcerationes plurimae non propterea inveniuntur circa valvulam, quod ibi glandulae Peyerianae aggregatae sunt, sed ut potius glandulae dictae in iis intestinorum partibus sedem habeant, in quibus pro situ anatomico secreta totius membranae mucosae simul cum faecibus longius retinentur, quo fit, ut glandulae, universali intestinorum morbo catarrhali ad abnormem secretionem excitatae, contactu, corrosione ac irritatione massarum peccantium eo facilius in statum ulcerationis mutari possint, id quod auctores supra laudati confirmant. Glandularum Peyerii functio huc usque physiologiae doctrinis nondum explorari potuit ideoque idiopathicum earum malum ejusque aetiologia multo difficilius probatur, quam materies obnoxia et loca ipsa ulcerata insultans externis sensibus praepositur et ostenditur. Huc etiam pertinent, quae de glandulis in mesenterii circuitu intumescantibus et degeneratis a nonnullis scriptoribus ¹⁴⁾ pronunciata sunt, ex quibus gastroenteritidis causam ad scrophulosam diathesin et degenerationem glandularum mesenterii praecedentem reducere necessarium existimabant. Facile autem intelligi potest, irritationem et ulcerationem glandularum intestinalium non ad loca immediate contacta restringi sed ad reliquum etiam systema glandulosum abdominale transferri posse et inde glandulas mesenterii, intestina affecta circumvolventis, ex sympathia mali vicini participes fore, quemadmodum bubones alique tumores glandulosi docent, quantus sit glandularum cum ceteris organis consensus et quanta sit earum contra abnormalia secreta resistentia et reactio. Attamen singulis scrophulosi laborantibus certam praedispositionem in nostrum morbum non denegemus, quod homines talis habitus propter universalem sensibilitatem cutis externae in catarrhales affectiones prae ceteris proclives inveniuntur et deinde quod praeeistente in glandulis abdominalibus perturbatione

¹⁴⁾ Albers l. c.

Signa nervosa eorumque caussae verisimiles.

scrophulosa catarrhi aggressus eo certius ad loca flectitur irritata.

Praeter indicia ulcerationis etiam nervosa symptomata adsunt. Caput calidum, malae satis rubrae, susurrus aurium et obtusus auditus, oculi rigentes eorumque expressio stupida, iridis dilatatio, torpor universalis et apathia, dolores fortiori tantum ad abdomen compressione facta in facie indicati, coma vigil cum deliriis blandis alternans et reliqua omnia gravissimam totius systematis nervorum coactionem manifestant et ut hoc stadium febris nervosae, ut P. Frankii voce utar, stupidae simillimum cum hac confundatur efficiunt.

Verae caussae nervorum systematis affectionis maximae dubitationi sunt obnoxiae et adhuc lis pendet. *Albers* et alii in singulis mortuis plexum coeliacum et adjacentia nervorum ganglia decolorata aut rube-facta viderunt, quae tamen, aliis sectionibus innumeris nullum hujusmodi vestigium docentibus, minimi momenti sunt et tantummodo complicationis alicujus intercurrentis suspicioni ansam dare possunt. *Broussais* et *Lesserus* nervosa signa omnia derivare malunt ex irritatione, quam quaevis inflammatio localis organo centrali nervorum imprimere possit. Quodsi etiam nervosa symptomata demum post exortam exulcerationem observentur et ulcera exorta tanquam loca continuo irritata et virium exhaustionem et totum morbum augere et alere concedendum sit, nihilosecius necessitas tantae cerebri perturbationis, quanta in gastroenteritide praevalet, plane non patet. Eoque magis in aliis inflammationibus et exulcerationibus haec perturbatio desideratur, e. g. in ultimo phthiseos stadio aut in morbo mesenteriaco, ubi ulceribus intestinalibus aliqua similia symptomata, praesertim alvi ductiones purulentae et dolores in abdomine pungentes, nec unquam tamen nervorum et cerebri sympathiae afferri solent. Veluti universim nervosorum morborum apertam originem corporalem sive caussam materiales demonstrare omnibus difficillimum habetur, ita et in nostro malo de hujus proble-

matris resolutione satis lucida gloriari nondum possumus. Periculum tamen faciendum, quomodo ex catarrhali morbo affectio nervosa explicetur.

Primo enim irritatio abdominalis in gastroenteritide major et magis extensa est, ac in phthiseos et aliarum degenerationum ulceribus. Jam in prodromis et primo stadio oppressiones et lenes per totum abdomen vexantes dolores membranam intestinalem omnem aut certe maximam ejus partem esse aegrotantem indicant. Progrediente malo secreta per se perversa et corrosiva, ulcerum ichore magis deteriorata, haec ulcera ipsa, et eorum aureolae inflammatae dolores tam acres et extensos excitant, ut aegroti, quanquam ceterum torpidissimi, inter contactum abdominis de intolerabili molestia queri audiantur. Porro morbus catarrhalis membranam mucosam ad abnormem functionem per totum intestinorum tractum impellit et secretis legalibus per plures dies plane cessantibus et perversis productis cum ichore ulcerum resorptis universam vegetationem abdominalem perturbare et cacochymiam humorum praedispungere videtur. Quid inde miri, si dolores illi nunquam interquiescentes et mutatus totius reproductionis processus gangliosum nervorum systema ad irritationem cogant talem, ut ejus sensibilitate perversa et vi nervorum ad legales secernendos humores depravata, statum nervosum universalem et sanguinis decompositionis symptomata e. g. decubitus, sanguinem excretis commixtum et alia formari conspiciamus.

Accedit deinde vis illa specifica catarrhi epidemici ejusque in nervosam complicationem proclivitas, quae, ut supra monitum est, in plerisque suis formis nec non in nostro malo conspicua est in apathia quadam et singulari indifferentia, qua aegrotantes primo jam impetu morbi, ceterum de nulla graviore molestia conquerentes, insignes sunt. Hujusmodi aliquam vim atmosphaericam saepe exanthematibus acutis

et reliquis, qui miasmatibus propagantur morbis inesse eique nervosas complicationes nostri morbi, nondum satis explicatas maxime tribuendas censemus.

Dubitationes
quaedam, catarrhali morbo contrariae

Nonnulli auctorum quos dixi, et in his *Neumann, Clarus* et *Albers* ¹⁵⁾ gastroenteritidem, quam maxime in nosocomiis observarunt, non esse morbum divitum, sed modo pauperum commemorant. Vix quidem pauperes majori gradu subjectos esse malo negemus, idque eo fieri putemus, quod miseria, habitationes insaluberrimae, vitae genus, alimenta et in edendo et potando excessus ad morbum praedisponunt et catarrhales aggressus ad intestina alliciant; porro quod, erupto illo, ejus suppressio justo regimine effecta et auxilium artis negligitur, aut adeo incongruis remediis ulterior progressus adjuvatur, ex quibus etiam facile est ad intelligendum, aegrotos hujus classis ad nosocomia allatos jam in secundo stadio morbi haerentes inveniri. His influentibus nonne etiam epidemias in pauperum habitationibus primum sese figere, ibi domicialiare et multo magis, quam contra opulentiores saevire videmus? Neque tamen divites nostro morbo plane exemptos et incolumes concedere possumus. In aliis enim malum eruptum jam primo stadio ope artis satis mature advocata supprimitur aut lenitur, in aliis infaustioris exitus cum febre gastrica aut nervosa, de quibus et inter divites eruptis audimus, confundi potest et certo confunditur, quo magis cadaverum sectionibus, quibus in nosocomio nil obstat, hic plerumque vetitis, de dubia diagnosi lux nulla affunditur. Iisdem fere interpretaeri possumus, quae ab *Albersio* (l. c.) de juvenibus scrofulosae diatheseos tantum morbo affectis de simili aetate plane incolumi referuntur, quum, uti notissimum est, capacitas quorundam morborum annis progredientibus diminui aut plane deleri soleat.

15) *Albers*. l. c.

Tandem ut ad finem properem, iis, quae auctor novae curandi methodi de remediis exposuit, modo pauca addere liceat.

De cura morbi quaedam adjecta.

Natura gastroenteritidis posita catarrhali, antiphlogosis directa, sanguinis extractiones, et remedia vitam sanguinis nimis debilitantia, quae in aliis catarrhi formis, e. g. in bronchiticis affectionibus rara feruntur aut tamen cum summis cautelis adhibentur, in nostro etiam morbo aut plane excludantur aut ad singulos casus characteris distincte sthenici adstringantur. Verus est abusus, tempore matutino ad abdomen, vespertino ad caput applicare hirudines, quibus nil nisi symptoma oppugnatur, et quae, caussa ejus non cessante, nullum aut modo brevi praetereundum afferunt auxilium. Post remedia tamen ad sordes expellendas adhibita sanguinis extractio localis et modica dolores acriotes lenire congestionem diminuere et ita curae adminiculari potest.

Remedia antiphlogistica.

Frigus, veluti constat, membranis catarrho irritatis semper infestum est, inde quoque ne aegrotantibus ad sitim sedandam potus frigidi ingerantur caveatur. Potus sint tepescentes. Fomentationes ad cranium datae frigidae saepe magis incommodae quam bonae erunt, propterea quod iis catarrhalis affectio augeri interdum observatur.

Frigus.

Remedia irritantia hucusque in singulis gastroenteritidis casibus admissa, semper nocuerunt, id quod in eo convenit, quod nulla catarrhi forma talia patitur.

Irritantia.

Methodus evacuatoria sola est saluberrima, qua quidem secretum perversum et cum hoc materia peccans atque omnes morbi molestias provocans egeritur. Quae indicatio sordes removeendi quum per totum stet decursum, in quovis etiam stadio morbi, simulac borborygmi et inflatio ventris accumulationis secretorum suspicionem faciunt, laxantia prosunt neque cautela illa a veteribus et recentissimis medicis laudata, *ne sordes crude praemature egerantur* ¹⁶⁾, juste his opponatur,

Evacuantia.

16) *Immis* in dissertatione inaugurali de notione febris essentialis gastricae et de recto usu evacuantium in hoc morbo Lipsiae MDCCCXXIX. optime de his egit et verba ipsissima Hippocatis (Sect. I. Aphor. 22

quippe cum diarrhoea earum turgescientiam praeclare demonstrat. Huius diarrhoeae ejusque incrementi metus absit. Alvi excretiones quidem, immediate post laxantia data, copiosiores et crebriores profluunt, mox tamen emissis cunctis sordibus obnoxiiis, alvus stat et relevatio aegroti, immo nervosi status diminutio observatur. Excitatio, quam remedium ulceribus et locis inflammatis imprimit, minoris momenti est et brevi praeterit eique, uti supramonitum congrua sanguinis extractione locali resistatur.

Usus calomelanos secundum *Lesseri* methodum in aliis aegrotis ex laxanti suo effectu sanationem, in plurimis autem detrimentum attulit, quod facta mercurii resorptione ptyalismum, decompositionem humorum universalem et extincto morbo intestinali, hecticam provocat.

Ex iis, quae hactenus exposuimus, jam concludimus: theoremata claudicant, facta stant. Utinam pro salute autem generis humani atque artis ii, quibus vi muneris publici copia data est facilis et multiplex, medici illustrissimi et experientissimi factum illud: „*methodus evacuatorius morbum sanavit*“ accuratius examinare et periculis tantum peractis approbare aut reprobare velint, maximi Germanorum poëtae et, philosophi dicti illius memores:

Grau, — — ist alle Theorie
Und grün des Lebens goldner Baum!

p. m. 232), *Galen*i (in libro cui titulus est: *quos purgare conveniat* Cap. 5.), *Sydenhami* (ejus op. Sect. I. cap. IV.), *Stoll*ii (Aphor. de febr. §. 364.), *Jos. Frank*ii (in ejus tractat de febribus Cap. VI. §. 35 — 37), *Richter*i (Ther. spec. Tom. I. pag. 341) et multorum aliorum attulit, quae omnia tamen eo restringuntur, quod sordibus turgescuntibus remedium evacuans non amplius detrimentum afferat.

I.

Amalie Ruprecht, femina 33 annorum multipera, debili corporis per 14 dies bronchitico malo, tussi vehementi, sputis cruentis et dispnoea, uti relatum est, aegrotaverat.

Mense Aprilis in nosocon. erga noctem recipitur, aegrota delassata et die 6to languida, vires satis prostratae, cerebri obtusio, magna apathia, oculi rigentes, cutis calida, pulsus debilis, 120 ictuum lingua rubra sicca et partim fusco muco obducta, sitis, respiratio frequens et difficilis, tussis, abdomen valde inflatum et tactum vix ferens, borborygmi et sedes retentae observantur. Diagnoscitur bronchitis cum gastroenteritide complicata, et a subchirurgo Saturat. Kali carb. cum aqu. lauvoc. praescribitur. Per noctem insomnia, deliria, alvus retenta.

7. datur olei ric. unc. dimid., qua duae excretiones cum pure commixtae et copiosae egeruntur; post has aliquae relevatio, pulsus 100 ict., abdomen minus inflatum, lingua paullisper humida, exasperatio verspert. exigua; per noctem deliria quaedam cum somno alternantur.
8. ad matut. tempus remissio satis perspicua, pulsus magis elevatus 100 ict., caput magis liberum, tussis tamen augescens, dolor in regione sternali, expectoratio plane abest. Ob hanc indicationem vitalem dantur; Asae foet. drach. una, mucilaq. sal. unc. tres, aq. comm. unc. guat. extract. arnic. drach. duae, syrup. simpl. unc. un. in mixtura (bihor. cochlea).

9. expectoratio quaedam, alvus obstipata, ceterum nil mntatum. praescribitur ol. ricin. uncia in duabus dosibus, quibus tres excretiones mucoso — faeculentae emittuntur, post has omnia symptomata mitigescunt.
10. excret. alvi voluntaria, relevatio progreditur, bronchiticum malum multo levius.
- 11 — 14. Asa foedita et ol. vic. alterna serie dantur. Dolor abdominalis et alvi ductiones cum pure striatae pergunt in decrescenti gradu, ceterum omnia in melius.
- 15 — 18. Dolores sensim sensimque cessant, alvus partim voluntario partim pauciori ol. ric. dosi aperta; vires paullo redeunt.
- 19 — 24. aegrota in reconvalescentiam progreditur et remediis ad nutritionem adhibitis post quindecim dies — erga nonum diem. Maji — e nosoc. dimittitur.
-

II.

Wilhelmine Lautenschläger, filia 24 annorum corpore robusto, ante quam in nosocomium recepta erat, per quindecim dies aegrotaverat et quidem ex refrigeratione his symptomatibus; frigoris impetu, post hoc calore, febris, respiratione impedita, tussi, diarrhoeis profusis et post has alvi obstructione. — remedia adhibita erant nulla —

Mense Aprilis Die receptionis in nosocomium aegrotata inveniebatur

10. summae apathiae, et stupida, facies rubra, oculi rigentes et languidi, cutis calida, pulsus parvus debilior (100 ictuum ad sexagesim. hor.), lingua et labia muco fusco obducta et sicca, tussis levis, respiratio frequens, abdomen inflatum, dolorificum, et tactum non ferens — data sunt:
11. *decem grana* Calom. in una dosi et postea haec mixtura in refracta: Emuls. ricinos. unciae sex, Aquae Laurocer. drachma una, Syrup. emuls uncia una. Per noctem aegrotata erat inquietissima, plane insomnis, continuo in deliriis versans. tres sequuntur alvi excretiones copiosae, fluidae et muco vitreo commixtae. At matutinum tempus aegrotata magis quieta et per totum diem eodem modo sese habet — nox subsequens inquietissima, deliria blanda.
12. Pulsus parvus, debilis, 100 ictuum, stupor maximus, insomnia, borborygmi in abdomine, *sedes nullae*,
13. Dantur ad diem lucentum decem gr. Calom., ad meridiem emulsio ricinosa. Alvi obstipatione permanente ad vespere adduntur iterum *decem grana* Calom. Haec sequuntur alvi excretiones reiteratae, copiosae floccis et pure commixtae; inde per noctem relevatio observatur.

- 14 et 15. Pulsus 100 ictuum, tegumen linguae partim dissolvitur, dolor et inflatio ventris minor, exacerbatio vespertina exigua, sedibus tamen retentis datur:
16. Tinct. rhei aqu. uncia demid., qua alvus sufficienter solvitur, ad noctem relevatio, sensorium plane liberum, somnum magis quietum
17. dantur aqu. oxym. unc. duae cum decoct. alth. unc. quat. in refr. dos.
18. aegra in melius procedit, cum tamen ex tussi et sputis insequentibus bronchitica affectio observetur, Infss: foenic. ex unc. sex, addita amm. mur. drachma et succi lign. unc. dim. praescribitur.
- 19 — 24. omnes molestiae in diem diminuuntur, vires augentur, et alvo aperta reconvalescentiae stadium appropinquat. Per decem dies sequentes aegrotata remediis idoneis nutritibus tractata erga sext. d. Maji dimittitur sanata.
-